

## EMBLEMA LIII

LUCERNAM ALAT, QUI LUCE OPUS HABET.



*Instaurat rutilum radiator in lampade lychnum,  
 Quem iuvat exilis sedula cura foci.  
 Sic Populi qui Rector amat radiare Ministros  
 Præmia, quæ accedant lumina clara dabit.  
 Nancque ab infusa splendet Pallade flamma,  
 Præmia iustitiam continuata fovent.*

## COMMENTARIUS.

**I** Adem ratio, quæ bonos, & fidos Consiliarios, ac Magistratus Regibus Principibusque commendat, æquo postulat jure, ut quos tales experiri fuerunt, summo in honore habeat, & justis præmiis ac muneribus prosequamur. Nam licet Justus Lipsius (a), velut arcanum dogma suggerens, sentire videatur, bona consilia, præmiis afficienda non esse, ne quis spe illa adipiscendi à verò deflectat, & ad Principis consulendis gratiam loquatur, vel superbia tumere incipiat, dum se placere præsumi, ut jam supra in alio Emblemate (b) tetigi reliqui tamen Politici (c), quos Reinhardus Coningus refert, & sequitur in contraria sunt opinione vel illam Lipsii recte limitandam existimant, ut licet in continenti, & ob singula suasa, & consilia, remunerari non debeant, ne illa venalia habere videantur, & mercedem expectare pro eo quod gratis, & ex suscepti officii obligatione facere tenentur, contra Juris Consulti Pauli (d) responsum. Postmodum tamen, summo studio ac vigilantia de ipsis, quos sibi, longo temporis tractu penè fideliter inservisse ac consuluisse comperiunt, honorandis, amplificandis, ac locupletandis, curare Principes oportere, ut hoc pacto eosdem in fide, & officio constantiores, atque alacriores efficiant, & alios ad parem gratiam promerendam accendant.

2 Nutriunt quippè (ut Cassiodorus (e) ait, & in alio loco (f) latius dicemus) præmiorum exempla virtutes: nec quisquam est, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando remuneratum non relinquitur, quod conscientia teste laudatur. Et secundum Claudianum (g).

*Egregios incitant præmia mores,  
 Hinc priscæ redeunt artes falicibus inde*

(a) Lips. lib. 3. Pol. cap. 8. num. 11.

(b) Sup. Embl. 46.

(c) Keckerman. Abus. Ard. rei. & alii apud Coning. in Theat. pol. 2. part. cap. 32. pag. 242.

(d) Jul. Paul. in l. ult. de condit. obtryp. causa cum si-

mil. l. 48. tit. 14. p. 5.

(e) Cassiod. l. 2. epist. 16.

(f) Inf. Embl. 72.

(g) Claud. de laud. Stilic. lib. 2.

Di-

*Ingeniis aperitus iter, despectaque Muse  
 Colla levant.*

3 Quam sententiam satis probat aperteque confirmat Mæcenatis ad Augustum Cæsarem monitum, quod à Dione Cassio (b) his verbis in ejus vita refertur: *Eos qui rectam sententiam, probamque dicent, & lauda, & honora, illorum enim juvenus bene audies, &c.*

4 Eandemque animadversionem, veluti in vim legis, à suis successoribus servari voluit Rex noster Alfonsus X (i) nam postquam in una suis septem partis accuratè disposuit, quas partes boni Judices, & Magistratus habere, & quomodo se in his officiis gerere debeant, sic subjungit: *E quando los Juces tales fueren, debelos el Rey amar, è fiarse mucho en ellos, è facerles mucho bien, è honra. E quando de otra guisa lo ficiesen, deben haber pena, segun el yerro que fuere. Cui legi consonat illa alia (k) Zeonnis Imperatoris, dum inquit: Qui enim suis consiliis, suique vigiliis pro toto orbe terrarum diu noctaque laborant, quare non habeant dignam sua prærogativa fortunam.*

5 Et magis in terminis Cassiodorus (l), qui frequens est, in hac cura Principibus insinuanda. Nam in quadam epistola inquit: *Remuneratio meritorum justum dominantis prodit Imperium, apud quem perire nescit, quod quempiam laborasse contigerit.* Et in alia (m) postquam eandem sententiam repetit, & Atheletarum circensumque æquorum exemplo commendavit, justus hoc multos in Magistratibus probè servientibus & consentientibus, observari debere, his explicat verbis, sic bonum Magistratum depingens, ut piaculum duxerim ea hic ad literam non transferre: *Quod si ita est, dignum videtur, hoc homini reddere, qui per honesta cognoscitur obsequia placuisse. Per tot enim actionum lubricos casus, fixum tenuitate militiæ probatæ vestigium: & quod raro in serviente provenit, permutatio judicum numquam circa te variavit affectum. Nec erat in te alieni iudicii quisquam invidus, cum etiam decessorum suorum ordinationibus redderet adversus. Placere siquidem meruisti civitas cum semper diligenda custodis, silentium in secretis, in actionibus efficaciam in observationis labore frequentiam: & quod rarum continentæ bonum crebra hominum vitia fecerunt, cum multis præbere officia, nulli tuam operam venditabas. Vocabulum Principis nulla sordè maculasti, servans dignitatem nominis, exercitatione virtutis. Rursus in alia (n) sic habet: Si Olympici currus agitator rapit præmia post labores: si ferarum certamen inonestum, velociter solet coronare victores; quam celeritatem remunerationis merebitur, à quo laudabiliter militiæ Sacramenta peraguntur, &c. Et denique signanter in alia (o): Bene (inquit) antiqua moderatione provisum est, ut laboris sui pretia recipiant, qui publicis utilitatibus obsecundant, ne quis haberetur præteritus, qui probabili fuerat actione laudandus, &c.*

6 Possemque facillè plura alia loca in ejusdem rei comprobationem adducere, cum nihil magis certum, magisque rationi consentaneum sit, quam ut iis, à quibus fidelis actus exigitur, compensatio debeat imminuta præstari, & passim nostra jura (p) proclamant, virtutum præmia tribui Magistratibus merentibus convenire, justissimosque & vigilantissimos Judices statuis posse imaginibusque donari: *Et publicis acclamationibus collaudari, ut honoris eis auctores deferantur processus; tametsi hæc propriè solis Principibus Romana solet antiquitas reservare, at latè Justus Lipsius observat (q).*

7 Quem acclamationum honorem, etiam post depositam administrationem conservari, his verbis Imp. Arcadius & Honorius (r) statuerunt: *Qui ex questuræ honore, aut officiali magisterio, aut comitiva utriusque ærarum nostri, attonito splendore viguerunt, acclamatione excipiantur solita, nec prætereantur ut incogniti.* Circa cujus legis, explicationem, & illustrationem plura notatu digna Ego (s) alibi commentus sum, post D. Sebastianum de Medina Cavallerum, qui circa eandem peculiaritatem repetitionem scripsit.

8 Sed nihil mihi magis notatu dignum, vel quod strictius possit Principum animos ad hanc curam adhibendam cogere, visum, quam Anaxagoræ Clazomenii Philosophi dictum & exemplum, quod hoc nostrum (quod videtur) Emblemata designat. Magnus enim hic vir, qui tempore Periclis Atheniensium Principis vixit, cujus & præceptor fuit, insignisque, & præclarus in contemplanda rerum natura habitus, adeo ut fatale totius Græciæ exitum prædixisse dicatur; cum eidem Pericli in administranda Republica, atque in aliis rebus, magno adjumento fuisset, ingravescenteque jam ætate, ab eodem Pericle, aliis negotiis intento, irremuneratus ac veluti oblitus, negligeretur, inedia vitam finire decreverat. Quod cum tandem rescisset Pericles, ad Philosophi ædes accurrit, precibusque ac lachrymis conatus est, illum ab instituto revocare, idque sui ipsius causa, magis quam Anaxagore. Cui ille, jam moribundus, atque animam agens, resecta facie, digitoque ad lucernam, quæ pauperum tuguriolum illustrabat, intenso: *O (inquit) Pericles, & quibus lucerna est opus, infun-*

Rr 2 dunt

(b) Dio Cassiod. in Aug. lib. 52.

(i) L. 18. in fin. tit. 9. part. 2. & in l. 5. in fin. ejusd. tit. & part.

(k) L. ult. C. de quad. præscript. in fin.

(l) Cassiod. lib. 1. epist. 42.

(m) Idem lib. 2. epist. 28.

(n) Idem lib. 11. epist. 35.

(o) Idem eod. lib. 11. epist. 37.

(p) L. & virtutum, C. de statutis, & imag. l. justissimos, C. de off. rell. provinc.

(q) Lips. lib. 2. elector. cap. 10.

(r) L. unic. C. de questorib. lib. 12.

(s) Ego in tract. de muner. honor. n. 289. & seqq.

dunt oleum. Sic illi, amici, fidiq; subadjvæ, ac Consiliarii neglectum exprobrant; unde non vulgarem capiebat utilitatem. Scitum est namque eos, qui ob usum qualemcumque lucerna egent, illam abstergere, infusoque oleo cibare debere, ut & agrum, quibus ejus fructus est opus, stercoreare.

9 Quæ historia à Plutarcho (f), Diogene Laërtio (u), & aliis laudis refertur, tantique præclarum illud prudensque morientis Philosophi documentum habitum est, ut vel jam ex tunc apud Græcos, & Latinos (ut Erasmus (x) notat) in Adagium transierit: *Lucerna qui indigent, oleum affundunt, sive lucernam alat, qui luce opus habet.*

10 Estque ei similis alia, quæ est antiquo Romanorum more desumi potest, dum juxta M. Varonem (y), & alios (z), singulis annis sacra quædam, *Fontinalia* dicta, solemniter ritu peragere solebant, fontes & puteos corollis, floreisque sertis honorantes, quasi dicerent: *Aquam hausisti, puteum coronam, & præmium, atque honorem iis à quibus boni aliqui capimus, rependunt, significarent.*

11 Quod satis etiam novit, & exemplo suo comprobavit Dionysius Syracusorum Tyrannus, qui licet præter ceteros crudelis, & inexorabilis fuisse dicatur, tantum tamen honoris, & judicii Platoni, ad se in consilium venire jussu, detulisse fertur, ut illi navem vitatam miserit, aurato curru in civitatem receperit, eumque summis muneribus, & in credibili liberalitate honoraverit. Ex quo exemplo Petrus Costallius (a) Pegma deduxit, quo viros doctos, & Reipublicæ utiles, honorari debere, his verbis edocuit:

*Aspice ut eximius niveis ad templa quadrigis,*

*Ante hac non solito pergat honore Plato.*

*Ecce Siracusæ Princeps immanis in ora*

*Vittatam mittit (Regia dona) ratem.*

*Heu quanta est lingue, quanta est præstantia cordis*

*Cogat, ut in frenos ponere colla duces.*

12 Pompejus quoque Magnus hoc honore Possidonium Philosophum Stoicum affectit, ut ad illius domum venturus, lictores, demissis fascibus, ut *Plinius (b) narrat*, adstare imperaret. Et Alexander (c) Severus Ulpianum Juris Consultum, cujus opera in gubernanda Republica plurimum usus est, non solum honoribus, ac pecuniis immensè ditavit, verum & *Patris*, atque *Amici* nomine illum indigitare dignatus est, quemadmodum & Marcus Aurelius, testante Spartiano (d), suum Magistrum, & fidum Consiliarium Ferentinum, cui & statuum in Senatu ipso poni mandavit, & Marcus & Verus Volusium Metianum, & alios Juris Consultos, supremique sui consessus assessores. Præclaro hoc amicitia nomine nexum indicantes, in quo duo veluti extrema à se invicem longis spatiis dissidentia, *Subditus*, & *Princeps*, admirabili consortione uniantur, & in mutuos affectus, ille justus & rationabilis obsequii, hic gratioris benevolentia, unice conspirant. Ad eò Regium est, & esse debet, honoribus & beneficiis prosequi (e) per quos sibi salutaria ad Regium munus rectè exercendum consilia ministrantur, vel rectis prudentibusque judiciis Respublica æquo libramine temperatur.

13 Unde Cassiodorus (f), hoc, Principale propositum vocat, & quasi scopum, ad quem Regnantes oculorum suorum aciem dirigere debeant: *Principalis* (inquiens) *propositi esse debet, bonestos labores palma remunerationis ornare, ut vicitudine, qua provecti gaudent, desideria mordeantur, sibi imputare possint, quod clementissimis temporibus, judicii Principalis premia non merentur.*

*Aut virtus nomen inane est.*

*Aut decus, & pretium rectè petit experientis vir.*

14 Et Siracides in Ecclesiastico (g), in duobus cor suum contristari, scriptum reliquit: *Vir bellator deficiens per inopiam, & vir sensatus contemptus.* Horatio quippè monente (h):

15 Quod pluribus aliis antiquioribus exemplis relictis, nullis magis suo testatum reddidit, quam Lescus Albus Polonorum Rex, qui, ut *Cromerus (i) tradit*, & in nostri Emblematis terminis Petrus Gregorius (k) recoluit, cum à Polonorum legatis ad tanti Regni solium sub ea lege vocatus esset, ut Gorovicium Ravitum Palatinum Sendomiriensem, cujus opera, fidiq; consiliis, multi retro annis utiliter usus fuerat, procul à se amandaret. Ipseque Gorovicium multis rationibus Lescum, ut oblatam conditionem aciperet, hortaretur: nec propter se unum seniculum, & pauculos, atque eos incertos dies vitæ suæ, in aliam familiam transire Principatum

(f) Plutar. in Pericle.

(u) Laert. de vit. Philosophor. in Anaxar.

(x) Erasmus. in Adag. pag. 269. & melius pag. 281.

(y) M. Varro lib. 5. de ling. Latin.

(z) Festus verb. Fontinalia, ubi Scalig. in notis, & Rossin. de antiq. Rom. lib. 4. cap. 14. pag. mibi 315.

(a) Costal. in Pegm. pag. 187.

(b) Plin. lib. 7. cap. 30.

(c) Alexand. lib. 1. Gen. cap. 27. El. Lamp. in Alex.

(d) Sever. l. 4. C. de loc. lib. 4. C. de contr. stip. Aurel. Casan.

in axiom. pol. Alexand. Sever. cap. 12.

(d) Spart. in Aurelio.

(e) Aurel. Cassan. ubi sup. vide Petil. qui hæc nomina

fid: consiliariis donari solita, pluribus probat.

(f) Cassiod. lib. 9. epist. 8.

(g) Eccles. 26. 16.

(h) Horat. lib. 1. epist. 2.

(i) Crom. in hist. pol. lib. 7.

(k) Petr. Gregor. de Repub. lib. 24. cap. 3. num. 6.

tum sineret. Adhuc tamen ille, vel hac oratione magis commotus, conditionem magno animo repudiavit, illicque legatis respondit, non tanti se facere Principatum, ut ejus adipiscendi gratia, tam fidum Consiliarium perderet, ac proderet, imerentemque, Magistratu simul, & patria ejiceret.

16 Sunt enim, ut subdit Petrus Gregorius (l), Consultores fidi, veluti canes, qui præsidio sunt adversus lupos ovibus, quibus submotis, vagantur in incerto Principes, & multorum fallacis, & deceptionibus exponuntur; & ut Africanus Rex ille Micipsa apud Salustium (m) dixit: *Non exercitus, neque thesauri præsidia Regum sunt, verum amici.*

17 Quod & præclare docuit Cyrus apud Xenophontem (n), iniquens: *Non aureum istud sceptrum est, quod Regnum custodit, sed copia amicorum ea Regibus sceptrum verisimum, tutissimumque.* Et Cicero (o), illud Agamemnonis adducens, quem tradit Homerus, plures sibi Nestores, hoc est fidos & prudentes Consiliarios, contingere, quam plures Ajaces, desiderasse.

18 Quapropter expedit, ut eorum fides, ac virtus, qui in hoc excellere visi fuerint, præmiis, & honoribus cumuletur, ut Clisthenes Sicilia Tyrannus, vel cum eo Consiliario fecit, qui sibi liberè, sed verè, ac prudenter triumphum contradixit, quo factò, & populi gratiam Tyrannus magis adeptus fuit, simulque effecit, ut reliqui Consiliarii deinceps liberè, atque ex animi sui sententia suffragarentur. Cujus historiae noster Saavedra (p) in terminis meminit, hoc axioma constituens: *Premiæ et Principe con demonstraciones publicas à los que ingenuamente le dixerer veridades.* Et ex Mariana addens, Lusitaniæ Regem Joannem II. quibusdam, vacantem quamdam dignitatem ambientibus, respondisse, se eam in pectore jam prius Consiliario ita fido, sibi que utili reservasse, qui numquam ei adulatoriè vel ad placitum consulebat, sed id potius, quod sibi ac Regno magis expedire censeret.

19 Hocque ad eò est verum, & Regum semper ac Principum animis infingendum, ut ne dum ipsos benemeritis Magistratus, & Consiliarios, dum vivunt, præmiis, & honoribus prosequi debeant, verum & in ipsorum filiis eadem continuare, & in parentum muneribus, & officiis, si se illis dignos, atque idoneos ostenderint, ceteris anteponere, quemadmodum multis juribus (q) statuitur, & à pluribus Auctoribus Juridicis, & Politicis illustratur, quos Ego alibi in uno congressi, & plena ac docta manu novissimus D. Hieronymus Altamiranus in copioso tractu, quem he hoc solo articulo typis mandavit.

20 Quibus adridens Seneca (r), etiam ad inertes filios, pro suo modo, remunerationis obligationem extendit: *Hoc enim* (inquit) *debemus virtutibus, ut non præsentibus solum illas, sed etiam ablatas è conspectu colamus, & qui egregiis majoribus ortus est, qualiscumque sit, sub umbra suorum lateat, & ut loca sordida repercussu Solis illustrantur, ita inertes, majorum suorum luce resplendant.*

21 Et adhuc magis ad rem nostram Cassiodorus (s), sub Theodorici Gothorum Regis persona, sic loquens: *Non enim relinquit inglorios patimur, qui generis claritate prædicantur.* Currat quinimò honorum gratia per parentes. *Sub Imperio boni Principis omnium Fortuna proficiat: nam quis desperet augmentum, ubi est in amore donum, & præstare propositum.* Et iterum iniquens (t): *Quid P. C. de nobis judicemus expendit, cum ad summorum culmina dignitatum germinis vestri viros, quos nunquam vidimus, eligamus; non fastidio negligentia, sed honorabili præsumptione nature.* Idemque ipsum monitum Hieronymus Ossorius (u) Regi, quem instituit, valde commendat, his verbis: *Illorum virtutem, & debitis præmiis afficies, & eorum memoriam à quibus generati sunt, grata voluntate prosequeris.*

22 Et hoc est, quod in Ecclesiastico (x) dicitur, ossa bonorum Judicium de loco suo, id est de cinere pullulare, & in eis gloriam illorum permanere, nimirum, quod in locum Parentum substitui debeant, & quasi novi Fenices ex eorum cineribus renascantur. Quod tamen, quantum ad Magistratum continuationem, ita accipi debet, si se propriis literis, ac virtutibus illorum capaces ostenderint, quod non infrequenter secus contingere solet, ut jam supra tetigi, & pluribus exemplis illustrant novissimus Antonius Burgundia, & D. Alfonso Nuñez de Castro (z). Alioqui in aliis rebus numerari, sive honorari debebant, & eis objici poterit nobile illud Antigoni II. apud Plutarcum apophthegma, qui adolescenti cuidam, qui patrem habuerat fortem, quamquam ipse non admodum videbatur bonus miles, postulanti, ut patris sapientia ac merito, stipendium solveretur, respondit: *At ego adolescens, non ob patrias, sed ob proprias cujusque viri virtutes, mercedem, & munera dare soleo.*

Ss

EM-

(l) Pet. Gregor. d. cap. 3. in fine.

(m) Solust. in Jugur.

(n) Xenoph. in Cyriped. lib. 8.

(o) Cic. de senect.

(p) Saaved. in Id. Pol. Emp. 48.

(q) L. unic. C. de filiis official. l. 5. tit. 10. lib. 5. Recop.

(r) & alii plures apud Me 2. tom. lib. 2. cap. 30.

(s) Senec. lib. 4. de benef. cap. 30.

(t) Cassiod. lib. 2. epist. 2.

(u) Idem lib. 9. epist. 23.

(v) Ossor. de Reg. instit. lib. 1. pag. 184.

(x) Eccles. 45. 11. & seq.

(y) Sup. Emb. 34. in fin.

(z) Burgund. in Lap. Lya. cap. 33. Nuñez in quest. polit. contra Senec. quest. 1.

## ADMINISTRI PRINCIPUM.



*En tibi plura gerit, quàm lumina præbuit Argos.  
Rex; Aures totidem, quin totidemque munus.  
Hæc opus Imperio, fidis supplenda Ministris,  
Regi hi sunt aures, lumina clara, manus.*

## COMMENTARIUS.

I Ideo mihi in præfatis satis superque bonorum Consiliorum, Consiliariorum, ac Magistratum necessitatem, qualitatem atque auctoritatem, Principibus commendasse. Sed adhuc ex inspectione præsentis Emblematis commendatiorem efficiam. Quo, dum Regem, tot simul oculis, auribus, ac manibus variegatum, exhibeo, satis ostendo, non posse solis suis sensibus cuncta complecti, ut jam supra ex Tacito, & aliis (a) probatum relinquo, neque magis, quàm unum hominem operari, ut noster Rex Alfonso (b), alios Reges admonuit, dum dixit: *El Emperador, ó el Rey, maguer sean grandes Señores, non puede facer cada uno de ellos mas que un ome.* Atque ideo, sine aliquo suæ dignitatis dedecore, fidis Consiliariis, ac Magistratibus, quinimò intimis quoque, sibi que fidissimis, & amicissimis Aulicis Administris uti debere, qui ei suos quoque oculos, aures, & manus ad exemplum tantum ministerium fideliter, ac graviter commodent.

2 Cui picturæ ansam præbuit Themistius (c), maximi inter Græcos Philosophos, & Oratores sui temporis habitus, ut Georgius Rbemus, & Pater Petavius in Commentariis ad eundem latè testantur. Hic enim, in quadam oratione, disputare incipiens, quomodo ineunda, & conservanda sit inter homines amicitia, quamque eisdem, & maxime viris Principibus, sit necessaria, & cujusmodi amicos deligere, ac diligere oporteat, sic habet: *Cumque vel privato homini, qui hujus possessionis (scilicet amicitia) compos fastus sit, plurimum ex eo lucro felicitatis accesserit, multo tamen plus ei accesserit, cui & multis civitatibus, & amplissime regioni imperare contingerit. Cui enim audienda multa sunt, & videnda multa, multorumque si-*

(a) Tacit. 1. &amp; 4. Ann. &amp; Nos sup. Embl. 45.

(b) L. 12. tit. 1. part. 2.

(c) Themist. in orat. 17. pag. 444.

mul capessenda cura est, huic pauca admodum aures duæ fuerint, aut oculi duo, unumque corpus, & unus animus: sin amicitia sibi opes quæserit, videbit persepe, audietque; minime etiam in confinio possita, & longinqua, Vatum, ac divinorum instar, cognosceret, ac pluribus, quemadmodum dii faciunt, simul interesse poterit, &c.

3 Quo in loco Themistius (d), Aristotelem sequutus videtur, qui similiter (e) docuit, Principes ac Reges, ex his fidis Amicis, & Administris: *Nunc quoque multos sibi oculos, multas aures, multas item manus, atque pedes facere; & utrumque imitatus Synesius (f), Cirenensium Episcopus, eadem ratione Arcadium Imperatorem admonuit: Posse Principes omnium oculis cernere, & omnium auribus audire, & omnium denique Consiliis, in unum tendentibus consultari.*

4 Hieronymus etiam Ossorius (g), eisdem vestigiis, ut aparet, licet neminem citer, inhærens, sic habet: *quo pacto uno tantum ingenio, cuncta, quæ sunt Regibus exagitanda, provideri, unius oculis, omnia quæerunt in Republica speculanda cerni, aut unius auribus, omnia postulata, & querela audiri, aut unius manibus effici, aut ad effectum destinatum perducì possunt?* Et apud Aristophanem (h) reperio, Pseudataram Regis oculum appellari, quod par eum cognosceret quid ageretur.

5 Ac planè, antiqui Cretenses ut Pictorius (i), & alii (k) scripserunt, quamvis subm Jovem sine auribus pingerent, hoc enigmatè significantes, Principem virum, & omnibus latè dominantem, audire neminem addecere, sed ex se omnia consequi, & id demum persequi, quod dictat rationis examen, & justitiæ nusquam præflorata integritas. Eundem tamen tribus oculis depingebant, quasi his, & pluribus indigentem, ut posset cælum, terram ac mare, quorum erat Dominus, perlustrare.

6 Quin & Romani, suum Janum, quoniam & superum, & inferum, ut Ovidius (l), ait, Janitor habebatur, & futura, & præsentia prospiciebat, non bifrontem tantum, sed multoties quadrifrontem, sive quadriformem, confinxerunt, ut præter plures alios D. Augustinus (m), & Lilius Giraldus (n) observant; quasi tot formis, vel rostris, totque oculis indigeret, qui universa climata sua majestate complexus, in quatuor orbis partes erat eodem tempore conspecturus.

7 In cujus fortè imitationem, Hebræorum Rex Manasses, ut Eusebius (o) Pamphilus ex Maneti annalibus tradit, & in Sacra etiam Historia refertur, post interfectum Isaiam Prophetam, statuum sibi quin cuplici ornatam facie ponere jussit, quo major in eo prudentia, providentia ac Majestas designaretur. Neque abest illa alia Lacedæmoniorum pictura, qui, ut Sosibius apud Zenodotum (p) scribit, Apollinem, licet alioqui Sapientiæ Præsidentem Deum, cum quatuor auribus, totidemque manibus effigiabant, quod iis, apud Ampelas pugnatibus, ea se figura visendum ostenderit.

9 Cui Causinus (q), ex Petro Bembo (r), similem aliam, de quibusdam Barbaris addit, qui coronas è culmo pictas, gestare solent, septem quasi auriculis intextas, & utriusque Apodosim, sive significationem eam esse inquit: *Viro prudenti res quàm plurimas audiendas, manus deinde non segniter admovendas, prudentiaque partem, docilitatem esse, qua aliorum consilia libenter audimus, mox prudentibus sententiis, ponderata, si modo expediant, exequimur. Nihil enim aures sine manibus prosunt.*

10 Huc quoque referri satis aptè potest vetus Adagium, *Multe Regum aures atque oculi;* quod ex Luciano, & aliis observat Erasmus (s), quamvis hic, non ad regum Administros, sed ad Exploratores, seu Auscultatores referat, quos Reges, præsertim Tyranni, per provincias dispositos habent, quibusque velut auribus, ad cognoscenda, quæ de se dicuntur, uti solent, ut & Midas consequeratur, qui ob hoc asini aures habuisse narratur, ut jam supra in alio (t) Emblemate tetigi.

11 Conducit etiam ad nostrum, non parum, aliud simile D. Didaci Saavedra (u) Fajardi, dum Sceptrum pinxit, pluribus oculis adornatum, cum lemmate, *His prævide, & provide,* ad eodem nimirum, de quibus loquimur Consiliarios, & intimos Amicos, atque Administros alludens. Quos item, ut apud Honorium (x) reperio, Rex noster Ferdinandus V. cognomento Catholicus, dicere solebat: *Que son como Antojos á los Reyes, que les aclaran, ó alargan la vista. Pero que es desdichado el Rey que por sí no la tiene bastante, y necesita de tales Antojos.*

12 Sed verius oculorum appellatione illos donavit ejusdem Ferdinandi Sapiens Antecessor

(d) Idem Themist. orat. 17. pag. 444.

(e) Arist. 1. polit. 12.

(f) Synes. in orat. de Reg. ad Arcad. post princip.

(g) Ossor. lib. 6. de Reg. instit.

(h) Aristoph. in Acharnensib.

(i) Pict. in Mytol. pag. 10.

(k) Rodig. lib. 10. c. 10. c. 3. Casaub. ad Athen. lib. 19.

(l) Ovid. in Fastis lib. 1.

(m) Div. Aug. de civ. Dei lib. 7. cap. 8.

(n) Girald. de Diis Gent. syn. 4. pag. 149.

(o) Euseb. de præp. Evang.

(p) Zenod. cent. 4. Adag. 54.

(q) Causin. in Polist. lib. 2. cap. 9. pag. 72.

(r) Bembo. in hist. Ven.

(s) Erasm. in Adag. pag. mibi 158.

(t) Sup. Embl. 49.

(u) Saaved. Emp. 55.

(x) Honor. in Theat. polit. in relat. Hist.

Alfonsus (y) ad Aristotelis doctrinam respiciens, cujus supra meminimus, & postquam dotes ac partes boni & fidelis Consilarii, atque Administri plenè recensuit, sic inquit: *E puso semejanza de los Consejeros al ojo, por tres razones: La primera, porque las cosas que ve de luerie, antes las cata bien, que las conozca. La segunda, que lora con los pesares, é rie con los placeres. La tercera, que cierra, quando siente alguna cosa que quiere llegar á él, para atañer á lo que está dentro. E tales deben ser los Consejeros al Rey, &c.*

13 Quo etiam nomine Persarum Reges suos Satrapas, sive *Primos Administros*, ac *Consiliarios* appellarunt, ut *Suidas* (z) inquit, Regisque oculi dicebantur, ut per quos Rex omnes spectaret, sicut Regis aures Delatores, per quos omnia, quæ ab uno quoque gerebantur audire solebat.

14 Quod sumptum ex Xenophonte (a) videtur, qui hinc factum esse inquit, ut vulgò jactaretur, Persarum Regem multos oculos, & multas aures habere, prout & latius Doctissimus *Brissonius* (b) prosequitur, & pluribus ornat, inter alia *Apulei* locum adducens, qui in libro de mundo, aula Persicæ fastum ex Aristotele describens, sic ait: *Sed inter eos Aures Regiæ, & Imperatoris oculi, quidam homines vocabantur: per que officiorum genera, Rex ille ab hominibus Deus esse credebatur, cum omnia quæ ubicumque gererentur, ille Otacustarum delatione dicebat.*

15 Unde vulgatus ille *Ovidii* (c) versus, quo dixit:

*An nescis longas Regibus esse manus?*

Melius forsitan diceret, non longas, sed plures, & quidem non modò manus, sed oculos etiam, atque aures: nam quot sunt in *Repub. Magistratus*, tot sunt manus, oculi, & aures Principis, quibus omnia, quæ ad populi sui utilitatem necessaria, & utilia sunt, ut diximus, perficit, intuetur, intelligit.

16 Quæ cum ita se habeant, nihil planè est, cur Reges, ac Principes sugillum, qui sæpè vel semper, ultra publicos, ac communes alios Consiliarios, ac Magistratus, quorum oculis, auribus, ac manibus concrediti sibi Regni munus exercent, aliquem præterea, aut aliquos, ex suis *Aulicis* in intimis habeant, cujus, quorumvè labore, industria, prudentia, ac consilio, pariter ubi res postulat, uti possint, *Monarchiæque* suæ gravem molem melius sustinere, & latè potens, ac patens Imperium facilius intueri, & felicius moderari (d),

*Ut non fessa labat sibi pondere cervix.*

Et velut alter *Atlas*, qui ut *Virgilius* (e) canit,

*Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.*

Eundem interdum *axem*, in ejusmodi *Amicorum* humeros, ut & ille in *Herculis*, reclinare.

17 Hoc enim in illis dumtaxat reprehendi, ac succenseri potest, qui Regni curas, atque habenas à se penitus amoveant, & aliis committunt, & ignaviæ, ac socordix dediti, sola exteriori Regum purpura, seu figura contenti, vitam agunt; quos contra, plura jam, supra in alio (f) *Emblemate* dixi, & novissimè *Alexander Cassaneus* (g) & *Philippus Camerarius* (h) plurima tradunt.

18 Non autem in his, de quibus nunc loquimur, quique alienas, ut diximus, manus, in id solum quærunt, ut onus sibi injunctum, sicut est in *Adagio* (i) levius reddere possint, & alterius *Adagii* (k) memores, quo *Unus vir, nullus vir*, esse dicitur, *Agamemnonem* imitantur, qui apud *Homerum* (l), alios in consortium Regni, ad ejus curas sublevandas, his verbis compellat:

*Adsitis Comites, multorum industria namque*

*Plus pollet quàm paucorum.*

Cui concinens *Euripides* (m) inquit:

*Vir unus autem nemo cuncta dispicit.*

Et *Heraclides* (n),

*Invalida pugna est, unicæ tantum manus.*

19 Quam doctrinam, innumeris quidem possem testimoniis, & auctoritatibus comprobare, si illud *Tullii* (o) sufficiens non esset, quo docet, *Omnis ratio, & institutio vitæ, adjuncta hominum desiderat.* Et *Aristotelis* (p) inquit: *Quòd ut quisque maximè opibus, Principatu &*

(y) L. 5. tit. 9. part. 2.

(z) Suidas apud Dionys. Gothof. in notis ad *Novel. Leon.*

19. pag. mibi 712.

(a) Xenoph. in *Cyrip. lib. 4.*

(b) Briss. de *Reg. Pers. lib. 1. pag. 125.*

(c) Ovid. *epist. 16.*

(d) Lucan. ad *Pison. Juven. satyr. 3.*

(e) Virg. 6. *Æneid.*

(f) *Sup. Emb. 18.*

(g) Alex. Cass. in *axiom. politapit. c. 10. pagin. 99. &*

segg.

(h) Camer. *cent. 1. cap. 90.*

(i) Eras. in *Adag. Multæ manus reddunt onus levius*

pag. 116.

(k) Idem in *hoc Adag. pag. 92.*

(l) *Homer. Iliad. 4.*

(m) *Eurip. in Phœmiss.*

(n) *Heraclid.*

(o) *Tull. 1. offic.*

(p) *Aristot. lib. 8. Ethic.*

potestate excellit, ita *Anicis*, & *filelibus Consilariis* maximè indiget. *Plutarchi* (q), idem magis his comparationibus suadentis: *Gubernator optimos quærit nautas, architectus doctissimos quærit ministros: ita Princeps eos asciscat Anicos, qui ad Rempublicam administrandam maximè sint idonei.*

20 Quod etiam agnoscens *Tacitus* (r), *Tiberium*, ubi primùm post *Augusti* exitum Imperium accepit, sic loquentem inducit: *Et ille variè disserebat de magnitudine Imperii, sua modestia, solam D. Augusti mentem tantæ molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quàm arduum, quàm subiectum fortunæ, regendi cuncta onus, proinde in civitate tot illustribus viris subnixæ, non ad unum omnia deferrent, plures facilius munia Reip. sociatis laboribus executores.*

21 Et *Cassiodorus* (s), in hoc maturitatem prudentium Regum consistere, his verbis edocet: *Solatium curarum frequenter sibi adhibent maturi Reges, inde meliores existimati, quòd soli omnia non præsumerent.* Cui similis *Blondus* (t): *Cooptet* (inquit) sibi *Imperator* collegas, & socios, quibus cum de incumbendis deliberet.

22 Sed præstat, ut omnium vice ac voce, nostrum Regem *Alfonsum X.* iterum in scenam producamus (u), qui postquam, ut superius retuli, dixit, Imperatores ac Reges, quamvis in se Magni, aut Maximi sint, unius solius tamen hominis præstare operam posse, statim, veluti in hujus defectus supplementum, subdit: *E por eso fue menester que oviese en su Corte omes honrados que le sirviesen, é de quien se gobernasen las gentes, é toviesen sus lugares en aquellas cosas, que ellos oviesen de ver por mandado dellos.* Quod & antè his quoque verbis (x), non minùs graviter adnotuerat: *E otrosi debe aver omes sabidores, é entendidos, é leales, é verdaderos, que le ayuden, é le sirvan de fecho, en aquellas cosas que son menester para su Consejo, é para facer justicia, é derecho á la gente. Ca él solo non podria ver, nin librar todas las cosas porque ha menester por fuerza ayuda de otros, en quien se fie, que cumplan en su lugar, usando del poder que del reciben, en aquellas cosas que él non podria por sí cumplir.*

23 Et est quidem in eadem rem aliud præclarissimum testimonium, & ad nostrum *Emblema* valdè conducens, quod ex *Historicis*, de hoc etiam nostro argumento agens, narrat *Alexander Cassaneus* (y), *Joannis Augusti Orientis Imperatoris.* Hic enim cum in venatione esset improviso teli ictu ita vulneratus, ut ex consilio *Medicorum* accepit, non aliàs præsentissimam mortem se effugere posse, quàm si manus, cui altius sagitta venenata inhæserat, præcideretur, eorum monitis nullo modo parere, aut acquiescere voluit; quin constanti pertinacia in voluntariam mortem concedere maluit, quàm pati, ut tam commodo instrumento careret. *Dicitans*, unam manum non suffecturam tanti Imperii habenis, cui ne duæ quidem, & integræ, ad commodam administrationem sufficient; nec etiam unus animus, quantumlibet supra humanam mentem capax, ut tot sibi invicem succedentium curarum agminibus commodè vacet, ut jam alibi (z) ex *Seneca*, & aliis manifestavimus.

24 Sic igitur vita hominum est, sic Regna, & Imperia, vel idè quòd magna sint, ea strictiori lege se habent, ut mutuo auxilio invicem egeant, neque ullus possit hac nascendi prærogativa censi, ut aliorum succedaneas operas non requirat. Ac propterea *Phidias* *Jovi*, quem annulo incluserat, *Antarcis*, nomen imposuit, quasi solius *Dei Opt. Max.* sit proprium, sua contentum beatitudine, nihil extra se quærere, neque aliorum adjumentis egere, neque id humanæ conditioni ullatenus convenire, cum vel de ipso eodem *Jove* ausus fuerit *Seneca* (a) dicere, quovis aliquid graviter agi, aut percipi debet, ne ei quidem satis suum esse consilium.

25 Quod si quis adhuc, testimoniis non contentus, exempla requirat, *Ævum omne* videat, ut præclare scripsit *Vellejus Paterculus* (b), meritò à *Justo Lipsio* laudatus, *Raròque eminentes viros non magnis Adjutoribus ad gubernandum fortunam suam usos, reperiet: certos magna negotia magnis Adjutoribus indigere.* Sic enim in *Sacris Literis* (c) *Moses*, licèt à *Domino* ad sui populi gubernationem electus, eodem *Domino* jubente, senes in suum adjutorium adscivit, ejusque manus ab *Aarone*, & *Hur* in monte sustentabantur, dum populus contra *Amalechitas* bellum agebat. *David Joabum*, *Salomon Zabud*, *Pharao Josephum*, *Assuerus Amanem*, & *Mardocheum*, *Darius Danielem* in intimis habuerunt.

26 Et in profanis, scitum est, quantum *Alexander Parmenioni* detulerit, & optimos quosque

(q) *Plutarch. in Moral.*

(r) *Tacit. 1. & 12. Annal.*

(s) *Cassiod. 1. 8. epist. 9.*

(t) *Blond. de Roman. triumph. lib. 7.*

(u) *Diët. 1. 12. tit. 2. part. 2.*

(v) *L. 3. vers. E otro si eod. tit. & part.*

(y) *Alex. Cass. in axiom. polit. Alex. Sever. cap. 11.*

pag. 74.

(z) *Sup. Emble. 12. & segg.*

(a) *Senec. & Nos ex eo latè sup. Emb. 45.*

(b) *Vellej. Paterc. lib. 2. apud Lips. in Politic. lib. 3.*

cap. 2.

(c) *Num. 11. Exod. 17.*

que ex Romanis Imperatoribus, ubi primum sui Imperii magnitudinem cognoscere cœperunt, imbecillitatis suæ conscientia permotos, libenter alios ad solitudinum curarumque, ac secretorum consiliorum partem vocasse, ut Julius Cæsar, Quintum Padium, Cornelium Balbum, & Oppium; Augustus Mæcenatem, Agrippam & Taurum; Tiberius, Setanum; Nero, dum boni Principis speciem præbuit, Senecam, & Burrum; Vespasianus, Mutianum; Adrianus, Salvium, & Neratium Juris-Consultos; Caracalla, celeberrimum Papinianum, Alexander Severus, Ulpianum, & Paulum, Gordianus Misiteum, Honorius Stiliconem, Valentinianus, Sallustium: qui, ut refert Zonaras (d), cum ab Imperatore peteret, ut pronavata in ejus electione opera, præfecturæ qua fugebatur, molestiis liberaretur: *Eône (inquit ille) tantam mihi rerum molem imposuisti, ut eas tu ne attingeres quidem.* Et sic alii alios, variis temporibus, & in variis regionibus, & nationibus, quorum qui copiosam nomenclaturam habere voluerit, peculiari doctosque tractatus, quos de ejusmodi Administris scriperunt Lipsius (e), Sancta-Maria (f), Marquez (g), Scribanus (h), Joann. Ant. Velazquez (i), Navarretus (k), Crucius (l), Lainez (m), Malvezzius, Beyerlinch. (n) Simon Majol. & passim alii, legere poterit, & noviss. Joannem Schildium (o), qui addit, & cohortes Amicorum apud Tranquillum, & cohortes interioris admissionis apud Senecam reperiri.

27 Noster quoque D. Didacus de Saavedra (p) doctè satis & prudenter in hoc argumento versatur, & in honorum Administratorum qualitatibus exponendis, & aliquos refert, qui apud Reges nostros, antiquis, & modernis temporibus, plurimum gratiæ, & auctoritatis habuerunt, quos consultò silentio prætereo. Non tamen leges nostræ Recopilationis (q), quæ, ejusmodi interiorum Administratorum, sub hoc nomine de *Privatos*, mentionem faciunt, & antiquum fuisse ostendunt, nimia potestate, & indulgentia Principum, quibus adhærebant, sæpè abuti solitos esse, cum statuant, ne illis officia publica commendentur, moderarique posse donationes eisdem à Regibus factas, & à conductionibus Regalium reddituum ob eandem causam arceri debere.

28 Et certè si usquam vel uspiam hæc Administratorum delectio in aliquibus Regibus, & Regnis admitti, ac permitti debuit, nullibi quidem justius, & necessarius, quam in vasta hac nostrorum Catholicorum Regum Monarchia, quæ disjunctissimas terras, immensaque spatia percurrit, Orientem, & Occidentem prospicit, totque diversi oris, ac moris nationibus præsidet, ut sola ipsorum mens, sit licèt divina tantis curis par esse non possit, aut opportunè succurrere, & liceat nobis verius quam Claudiano (r), de illa profari,

*Quæ brachia centum,  
Quis Briareus, aliis numero crescente lacertis  
Tot simul objectis posit configere rebus? &c.  
Quot nube soporis,  
Immunes oculi, per tot discurrere partes.  
Tot loca sufficerent, & tam longinqua tueri?*

29 Accedit his, quòd cum secundum Manilium (s), & alios cognata sint quædam cœlorum astra vel signa,

*Quæ jungant animos, & amica sorte ferantur.*

Ac propterea, naturali quadam compassione, homines aliis soleant, magis quam aliis inclinari, sitque inter eos, ut Cicero (t) tradit, quidam quasi consensus, quem Græci vocant *Sympathiam*, non possumus, nec debemus justè naturalem hunc affectum, vel propensionem in Principibus mirari, vel succensere, nec velle, ut ab amicitia commodis exulent, qua, ut idem Cicero (u) inquit, excepta sapientia, nihil melius à Diis immortalibus datum est, & per quam solatium præcipuum vitæ consequimur, quod D. Ambrosius (x) in eo constituit: *Ut habeas, cui peccatus tuum aperias, cui arcana comunices, cui secreta tui peccatoris committas, ut colles tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur: facilis vox, & communis, tuus suon totus, sed paucioris est effectus.*

30 Quod benè sensit Tacitus (y), valdè in his Aulicis materiis expertus, dum dixit: *Fa-*

(d) Zonar. tom. 3. *Annal. Lycosth. in Apophth.*  
 (e) Lipsius. 3. *polit. cap. 10.*  
 (f) Sancta-Maria in *Rep. Christ. lib. 2.*  
 (g) Marq. in *Gubern. Christ. lib. 1. cap. 17.*  
 (h) Scrib. in *pol. Christ. lib. 3. cap. fin.*  
 (i) Velazq. in *pleno tract. de Opt. Princ. admin.*  
 (k) Navarret. in *disc. pol. ad fin.*  
 (l) Cruz. in *dan. aul.*  
 (m) Lainez in *Privil. Christ.*  
 (n) Beyerlinch. in *Teat. verb. Consiliiarii.*  
 (o) Schild. in *exercit. ad Tacit. pag. 94. & seqq.*  
 (p) Saaved. in *Id. Polit. Emp. 49. & 57.*  
 (q) L. 22. tit. 5. lib. 3. l. 15. tit. 10. lib. 5. l. 7. tit. 10. lib. 9. *Recop. quas ponderat Vela dissert. 2. num. 21 fol. 22.*  
 (r) Claudian. lib. 1. *de laud. Stilic.*  
 (s) Manil. 2. *Astron.*  
 (t) Cic. lib. 3. *de nat. Deor.*  
 (u) Cic. lib. *de amicit. Div. Aug. epist. 45.*  
 (x) Div. Ambr. *de offic. lib. 3.*  
 (y) Tacit. 4. *Annal. vide etiam Saavedra d. Emp. 49.*

to quodam ac forte nascendi, ut cætera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos est. Quem referens Justus Lipsius (z), aperte fatetur, *Aulica hæc Comitia affectu dirigi.* Cujus quidem, nullam sæpè causa, præter hanc inclinationem solet inter venire, vel certè inquiri non debet, sed cæco obsequio pro eo stare, ac præsumere, quem Princeps in intimum amicum elegerit, & gratiæ ac solitudinis suæ participem fecerit.

31 Unde præclare dixit ille qui dixit: *Regum gratiam mereri, domum fortune est;* & Marcus Terentius apud Tacitum (a), cum de excusanda stricta, quæ sibi objectabatur cum de Sejano familiaritate, tunc cum Tiberio dilectissimus, & præ ceteris gratissimus extitit, prudenter excepit: *Non est nostrum æstimare, quem supra ceteros, & quibus causis extollas, Tibi summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est.* A quo non valdè abest, quod in simili Amyntas Alexandro Magno apud Curtium (b) respondit, cum ei amicitia Philotæ, & Parmenionis objiceretur, inquires, Regem ipsum effecisse, ut eos coleret, quos ille prius ad summum, & intimum suæ gratiæ culmen evererat.

32 Et est scitu ac relatu dignum, quod de Rege nostro Joanne II. ejus Archiatrus Ferdinandus Gomez (c) de Ciudad-Real, in quadam ex suis Epistolis memorat, nempe, nobili illi hujus Regis Primori administro, D. Alvaro de Luna, ante ultimum processum, quo tandem capitali sententia damnatus fuit, alium formatum fuisse, eoque jussu Alvaro fuisse, ne intra decem & octo menses Regem alioqui, vel ejus se præsentia ullo modo sistere posset. Judicibus nimirum existimantibus, hujus temporis absentiam operaturam, ut Rex summam, quam circa eum habebat, & in rebus omnibus demonstrabat, dilectionem, amitteret. Sed subdit statim Medicus, quod re ipsa comprobavit eventus: *Pero si mi Fisca no minsura mal el motu de la arteria graciosa del Rey, para con el Condestable, mas querencia le tiene absente, que faz á faz.*

33 Quod tamen non efficit, quin piè quoque existimare possimus, hanc gratiam ex divina potissimum dependere, cum Deus, quos ad Regale fastigium erigit, dirigere in his Primorum Administratorum electionibus, ut & in ceteris, soleat, & ut in Proverbis (d) habetur, & latè supra in alia (e) commentatione probavimus, *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Quò fortè respexit Alfonso Rex Aragonum, hujus nominis I. dum referente Antonio Panormitano (f), & Petro Crinito (g), auctoriter dicere solitus erat: *Regis animos minime privati cujusquam arbitrio regi.*

34 Et Cassiodorus (h), qui non contentus sæpè generaliter repetiisse, quòd qui à Rege provehitur præcipuus, & plenus meritis æstimatur, & pompam meritorum esse Regale judicium, alibi (i) de Artemidoro agens, quem Theodoricus Rex, licèt extraneus esset, urbis præfectura donavit, & sibi in intimum Amicum, sive Admisionalem, delegit: *Nullum esse majus meritum inquit, quam gratiam invenisse Regnantium.*

35 Ceterum quoniam eo loci eleganter, quæ in ejusmodi Primis Administris requirantur, exponit, non erit ab re, tantisper in ejus verbis recensendis immorari, ut cum dignum hoc munere, & honore describimus, ad ejus exemplum ceteros incitemus. Sic igitur ait, post alia, quæ de ejus patria nobilitate, ac moribus enarravit: *Qui super hanc eximiam fidem, solatia nobis suæ confabulationis adjevit: ut asperas nonnunquam Reip. curas, quas emergentium rerum necessitate suscipimus, sermonis suavitate deliniret: blandus alloquio supplicantium fidelis patronus, accusare nesciens, commendare præsumens. Qui tanta se animi puritate clarificavit, ut cum apud nos mereretur aulicæ dignitates, spectaculorum ordinatione letissimam sibi militiam vendicaret. Quatenus sub specie voluptatis liberè videretur velle servire. A laboribus quidem temperans, sed in nulla se nobis parte dissocians. Regalem quin etiam mensam convivæ genitatus amavit, ibi se nobis studens jungere, ubi certissimum est nos posse gaudere. Sed quid ultra de ejus moribus est dicendum, cui ad perfectam probationem sufficit, quod anorem nostrum jugiter habere promeruit. Non est majus meritum, quam gratiam invenisse Regnantium, nam quibus fas est de cunctis optimis querere, videntur semper meritis elegisse, &c.*

36 Extat etiam alia ejusdem Cassiodori (k), & sub ejusdem Regis Theodorici nomine, ad honoratum epistola, quem Quæstorem loco fratris ejus constituebat, qui *Decoratus* appellabatur. In qua, non minus eleganter, quam prudenter, hoc officium Primorum Administratorum, de quo sermonem habemus, describere videtur, ideòque æque digna, ut nostræ hujus commentationis ornamentum existat. Decorati igitur jam defuncti memoriam, & laudes recolens, sic prosequitur: *Tali igitur homine decoratus evaluit (malem legere, omine, vel nomine) evaluit inquam, ac se honoribus Palatinis, judicio nostro laudatus immiscuit: dignitatem sionens, quam solemus dare prudentibus. Hoc plane supra ceteros adipiscens, quod potuit emergere pos electos. Sub genii nostri luce intrepidus quidem, sed reverenter astabat, opportune tacitus, necessariè copiosus, curarum nostrarum eximium levamen: & cum potestatis nostræ gratia ditaretur, morum magis laude contentus, mediocribus se potius exequabat. Vroito apud*

(z) Lips. lib. 3. *polit. cap. 10. in fin.*  
 (a) Tacit. 6. *Annal.*  
 (b) Curt. lib. 7. *cap. 1.*  
 (c) Fer. Gomez *epist. 13.*  
 (d) Proverb. 21. 1.  
 (e) Sup. Emb. 24.  
 (f) Panorm. lib. 1.  
 (g) Crinit. lib. 17. *cap. 9.*  
 (h) Cassiod. lib. 1. *epist. 3.*  
 (i) Idem d. lib. 1. *epist. 43.*  
 (k) Cass. lib. 5. *epist. 3.*

apud Nos recordatio bonorum, quia fides hominis nescit cum morte deficere. Secreta nostra, quasi obvisceretur, occulit; jussa; quasi scriberet, per ordinem retinuit: sine avaritia serviens, & gratiam nostram summa cupiditate perquirens.

37 Quantum verò fides in his qui gratissimum Regalis presentiae ac favoris pondus sustinent, requiratur, idem (l), etiam Auctor alibi Cyprianum, sacrarum largitionum electum Comitem, laudans, his non minus elegantibus, & notatu dignis verbis edisserit: *Accessit meritis tuis cunctis laudibus pretiosior fides. Quam divina diligunt, mortalia venerantur. Nam inter mundi fluctuantes procellas, unde se humana fragilitas contineret, nostris actibus mentis firmitas non adesset? Haec inter socios amicitiam servat: haec dominis pura integritate famulatur: haec superne Majestati reverentiam pie credulitatis impendit. Et si beneficium tantae rei latius queras, incommutabilis Fidei est omne, quod bene vivitur. Meruisti hactenus, ut honorum fastigia crederemus, age nunc, ut tibi gratiae nostrae celsiora nihilominus conferamus.*

38 Maneat igitur ex praefatis, quòd cum nullus unquam fuerit, neque esse possit Princeps, qui sine Administris suum regat Imperium, ut & praeter supra dictos, bene etiam Albericus Gentilis (m), & Fredericus Marsalaer, de legatis agentes, observant. Neque his succensendum esse, si non minimam refectionis ejusdem Imperii partem suis humeris subeant (n), dum modo tales eos Cassiodorus, & reliqui Auctores praebati delineant, famulos non dominos praesent, illudque Virgilii (o) de Mæceate in simili Fortuna constituto, praeculis habeant,

*Omnia cum possis tanto cum carus Amico, Te sentit nemo posse nocere tamen.*  
Et cum Plinio Junio (p) judicent: *Pulchrum, & magna laude dignum, Amicitia Principis in hoc uti, quantumque gratia valeat, aliorum honoribus experiri.*

39 Neque item Principibus, quòd talibus Administris, veluti oculis, auribus, ac manibus, in Emblemate nostro figuratis, utantur, dummodò in eorum delectatione modum adhibeant, discantque ex eodem Plinio (q): *Præcipuum opus Principum esse Amicos parare; eosque, qui omni prorsus fastu, omni ambitu, omni tumore, ac superbia, omni denique vitio careant, in suarum curarum, ac solitudinum partem, ac levamentum admittant; improbos, & maxime, qui celata se se malitia insinuare conantur, à tanto munere arceant: sæpe enim in speciem sana & venusta membra intus sanie tegunt, luenque ac labem per universum corpus derivant.*

40 Ac sanè, quemadmodum ejusmodi Administrorum foelix solertia, nunc pars, nunc origo, & interdum cumulus publicæ salutis esse solet, ut Marsalaerus animadvertit (r), & pluribus exemplis Coningus (s), & Saavedra noster (t) ostendunt. Ita contra, socordia, nequitia, infelicitas, ea progignunt mala, ultra quæ malum nullum sit; & in subditorum detrimentum, imò & totius Regni interimentum tendere soleant. Sed quoniam hujus rei tractatio integra volumina exigit, & à multis (u), nostris hisce temporibus, plurimis libris donata, & illustrata conspicitur, hæc nunc nobis de ea, pro nostri Emblematis commentatione, tetigisse sufficiat.

41 Eam optimis, & non vulgatis verbis Ferdinandi Pulgarii (x) claudentes, qui de Regis nostri Henrici IV. animi dotibus ac moribus agens, ita ait: *E ciertamente se debe considerar, que como quier que no sea ageno de los hombres, tener oficion á unos mas que á otros. Pero especialmente los Reyes, que estan en el miradero de todos, tanto menor licencia tienen de errar, quanto mas señalados, y mirados son que los otros. Mayormente en las cosas de la justicia, de la qual tambien deben usar, mostrando su oficion templada al que lo mereciere, como en todas las otras cosas. Porque de mostrarse los Reyes aficionados sin templanza, é no á quien, ni como, ni por lo que lo deben ser, nacen muchas veces las embidias, do se siguen las desobediencias, é vienen las guerras, é otros inconvenientes, que á este Rey acacieron, &c.*

42 Addo & alia verba notatu digna Joannis Barclai (y) qui lepida, & fabulosa suæ Argenidis narrationi, serias graves, & veras sententias intermiscens, quid de iis Administris judicet, quos Nos Privados, seu Validos vocare consuevimus, eleganter exponit, & injustum esse pluribus probans, quòd Reges velimus Amicorum consortio exules facere quòd, ut supra dixi, natura omnibus indidit, plebejam invidiam reprehendit, quæ in omnes desæviit, qui Principum amicitias illustres sunt, ipsisque Regibus hac de causa ob loqui audent, & tandem sic finit, Timocleam loquentem inducens: *Nunquam placuit tam inique obreclationis audacia, que quanquam publicæ obreclationis larva contegitur, plus insani tumoris tamen habet, quam solidæ pietatis. Plurimi enim Regibus irascuntur, non quòd aliquis gratia sua subeant; sed quòd sibi gradus non pateat. Et in gratiosis, quos tam acerbè devorant, haud rarò nihil magis, quam ipsa felicitas displicet. Certè, ut est domesticis nonnullis eligimus, ac velut adoptamus nostras in curas, fideique eorum familiaritate, & muneribus, tam pensamus, quam sollicitamus in futurum. Ita ni Princeps sibi quæserit vicariam opem, iisdemque rationibus aluerit, non sufficiet publicis laboribus, non me Castor, vel si firmiores nostro Atlante cervices, incumbentibus negotiis apponat, &c.*

EM-

(l) Idem Cassiod. d. lib. 5. epist. 40.

(m) Gentil. de legation. in epist. Dedicat.

(n) Marsal. eod. tract. lib. 1. cap. 1.

(o) Virg. ad Mæcen.

(p) Plin. Junius lib. 1. epist. 17.

(q) Plin. in Paneg.

(r) Marsalaer. d. cap. 1.

(s) Coning. in Theat. pol. 2. part. pag. 387.


(t) Saaved. d. Empr. 49. pag. 338. &amp; seq.

(u) Vide pro omnib. PP. Velaz. &amp; Lain. de opt. Princ. adm.

(x) Pulg. en tus Claros Varones, cap. 1. fol. 3.

(y) Barclai. in Argenid. lib. 1.

## MORTE AD PRINCIPES PLURES.



*Numen ut invisas, Fani plura ostia parent,  
Numen ut allicias, plurimus auctor adest.  
Ergo Ministrorum populo sint ostia plura,  
Regale ut Numen quisquis adire queat.  
Non uno Princeps fundat moderamine rivos,  
Utilibus varia munera parte fluent.*

## COMMENTARIUS.

**I** Atet ergo Principes Administris egere; illud verò non ita patet, an uni tantum debeant summam suæ gratiæ, pectoris, ac curarum impendere, vel melius, atque utilius sibi & suis subditis sit, plures æquali loco, ac munere, pro faciliori emergentium negotiorum expeditione, suo lateri sociare? Nam sunt qui (a) putent, commodius esse, unum tantum, de quo maxime fidant, eligere, ac præficere, quem reliqui, veluti Principalis aulae atque auræ Primiscrinium agnoscant, & revereantur, eandemque suis consiliis, & obsequiis juvare, non æmulari, vel ad gratiæ, quod vocant intimum, & præmiorum officiorumque distributionem aspirare, præsumant. Alioqui, ajunt, non aliter Imperii ratio constare poterit, quam si uni reddatur, ut aliàs Tiberius apud Tacitum (b) dixisse comperit. Ipsique inter se æqualis gratiæ, aut ponderis Administris, mutuis invidiis, & æmulationibus exardescunt, & magis de obsidendo, quam de obsequendo Principe, cui servire, & morem gerere debent, curam agent.

2 Scitum est enim, & jam inter Adagia (c) relatum, mundum non capere duos Soles, nec unum arbusum duos erithacos, domumvè unam, duos canes alere posse. Et ut ait Seneca (d), *In vicino versar invidia, simplicius longè posita miramur.* Quod, inter nullos magis experiri, quam inter eos, qui artificii ejusdem, vel officii, vel operis existunt, universim dixit D. Basilii (e), & in specie de Aulicis tractans Tacitus (f), sic inquit: *Recentem aliorum videlicet felicitatem agris oculis introrsicere, modumque fortunæ à nonnullis magis exigere, quam quos in æquo videre.*

3 Ego erò, & si hæc urgere concedam, ubi talis est Princeps, qui se ignavia dedat, & suis Administris omnino submittat, ejusdem Taciti (g) doctrinam spernens, qui magna Imperia ignavia non conneri, prudenter admonuit: cum tamen de eo sermone non habeam, quem ubi ita

Tt

(a) Saaved. Empr. 49. pag. 338.

(b) Tacit. Annal. cap. 7.

(c) Erasmus his Adag. pag. 423. &amp; 424.

(d) Senecan epist.

(e) D. Basil. in serm. de Invidia.

(f) Tacit. 2. histor.

(g) Idem 5. Annal. cap. 1.